



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. CV. An Deus facere possit, vt præterita non fuerint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

quod sit prateritum Dicere autem quod nosciderit, est dicere quod non fuerit. Vnde praterita non fuisse, non subiacet diuinae potentiae. Et hoc est, quod Augustinus dicit contra Faustum. Quisquis ita dicit: Si Deus omnipotens est, faciat, ut quae facta sunt, facta non fuerint: non videt, hoc se dicere. Si Deus omnipotens est, faciat, ut ea, quae vera sunt, eo ipso quod vera sunt, falsa sint. Et Philosophus dicit in sexto & hic, quod hoc solo priuatur Deus, ingeniata facere, quae sunt facta.

Ad primum ergo dicendum, quod licet praterita non fuisse sit impossibile per accidens, si consideretur id, quod est prateritum, id est, cursus Sortis: tamen si consideretur prateritum sub ratione prateriti, ipsum non fuisse est impossibile non solum per se, sed absolute contradictionem implicans. Et sic est magis impossibile, quam mortuum resurgere, quod non implicat contradictionem. Quod dicitur impossibile secundum aliquam potentiam, scilicet naturalem. Talia enim impossibilia diuinae potentiae subduntur.

Ad secundum dicendum, quod sicut Deus, quantum est ad perfectionem diuinae potentiae omnia potest: sed quaedam non subiacet eius potentiae, quia deficiunt a ratione possibilitatis: ita si attendatur immutabilitas diuinae potentiae, quicquid Deus, potuit, potest. Aliqua tamen olim habuerunt rationem possibilitatis, dum erant fienda, quae iam deficiunt a ratione possibilitatis, dum sunt facta. Et sic dicitur Deus ea non posse, qui ea non possunt fieri.

Ad tertium dicendum, quod omnem corruptionem mentis, & corporis Deus auferre potest a muliere corrupta: hoc tamen ab ea remoueri non poterit, quod corrupta non fuerit: sicut etiam ab aliquo peccatore auferre non potest, quod non peccauerit, & quod charitatem non amiserit.

CONCLUSIO est. Praterita non fuisse, implicat contradictionem, ac proinde diuina omnipotentia non subditur. Nihil in hoc articulo explicacione eget, ut in tem B. Tho. intelligamus. De eo autem, quod docet, est nobis statim futura disputatio.

DISPUTATIO CV.

An Deus facere possit, ut praterita non fuerint.

Duae oppositae sententiae. cap. 1.

Quo pacto in Deo ad prateritum non sit potentia. c. 2.

CAPVT I.

Duae oppositae sententiae.

TRes de hac opinione refert Anton. de Corduba. l. i. q. 55. dubio ult. ego vero duas solū esse existimo, quae potius voce, quam re ipsa secum pugnare videntur: nam quam Antonius tribuit Gabrieli, alio modo, quam ipse refert, est intelligi.


Vasquez in part. 1. Tomus 1.

genda, ut inferius notabimus. Prior igitur opinio est Antiphodensis lib. 1. summa c. 11. quest. 6. & Alexandri 1. part. qu. 2. memb. 5. art. 4. Greg. in 1. dist. 42. qu. 1. artic. 2. imo & Gilberti super Boetium lib. 1. de Trinitate. cap. 9, quam putat Corduba probabiliorem esse, videlicet, nunc esse in Deo potentiam ad prateritum, ut non fuerit: eam vero late probat Gregorius loc. cit. sed quia in bonum sensum explicata, vera est, nec ab opinione S. Th. re ipsa differt, ideo confirmatione illius superfedere statui. Posterior sententia est S. Tho. Caiet. & aliorum Thomistarum in hoc articulo. & 2. cont. Gent. exp. 25. num. 11. & Ferrariensis ibid. Bonau. in 1. dist. 42. q. 3. Capreoli q. 1. art. 3. ad argumenta Greg. contra 7. conclusi. qui asserunt, non esse in Deo potentiam, ut facere possit, prateritum non fuisse: quae sane sententia Patrum testimonio, & rationibus probari solet, quorum aliqua inferius referemus.

CAPVT II.

Quo pacto in Deo ad prateritum non sit potentia.

EGo sane existimo, Doctores praedictos re ipsa contraria non docere, licet verbis secum contendere videantur. Ut igitur eorum opiniones conciliemus, obseruandum est, Dei omnipotentiam in se ipsa ita esse aeternam, & totam simul permanentem, ut nihil illius transcat, quia tamen, quatenus relate dicitur, potentia respicit tempus nostrum secundum differentias prateriti, praesentis, & futuri; ideo de illa enunciamus, posse facere, & non posse facere, quatenus ad tempus nostrum referatur. Prioris ergo sententiae Doctores non senserunt, posse Deum omnipotentia sua rem prateritam, postquam praterita est, spoliare (ut loquitur Caiet.) prateritione sua, hoc est, Deum posse facere, ut postquam res fuit praterita, postea praterita non fuerit: quis enim non videat, hoc esse impossibile, nec diuinae potentiae subesse? Imo praedicti Doctores expresse notarunt, non posse Deum facere, prateritum non fuisse in sensu (ut ipsi dicunt) composito: sed dicunt nunc esse potentiam in Deo, ut res, quae fuit, praterita, non fuerit praterita, si potentia Dei referatur ad rem ipsam secundum se, antequam ponatur fuisse, vel non fuisse. Nam posito semel rem fuisse, nemo dixit, posse Deum facere, non fuisse. In hunc vero sensum loquutos fuisse, Scholasticos allegatos pro priori sententia praefertim Alexandrum loc. cit. ad secundum argumentum, ubi incipit, ad illud vero Augustini, legenti manifeste patebit. Quia igitur potentia Dei in se manet eadem, & comparata cum rebus antequam fuissent, posset facere Deus non fuisse, ideo dixerunt, in Deo esse potentiam ad prateritum, quod hac figura monstratur,



Nnn 2

Sic

Prima opinio.
Antiphod.
Alexand.
Gregorius.
Gilberti.

Secunda
opinio.
S. Thoma.
Caiet.
Ferrar.
Bonauent.
Capreoli.

Opiniones
memoratae
conciliantur.

Vera prioris
opinionis
intelligentia.

Vtrum Deus possit facere, quæ non facit.

Sic enim potentia Dei relata ad idem tempus, aut præteritum, aut præsens, aut futurum, potest quamlibet partem contradictionis, quamvis non possit alteram mutare in alio tempore: quoniam potentia Dei ad diuersa simul tempora referretur. Quo sensu dixit *Gabr.* in 1. d. 38. q. 1. a. 3. dub. 1. hanc propositionem, *Deus scit Petrum peccaturum non esse necessariam*, hoc est, scientiam futurorum non necessario Deo conuenire, quia est potentia in Deo, ut non sciuerit. Non dixit, esse potentiam ut postquam sciuit, possit non sciuisse; sed quia ab initio ita sciuit, ut possibile fuerit non scire: sicut fuit possibile rem, quæ est futura, non fuisse futuram. Perperam igitur sententiam Gabrielis refert *Antonius Corduba*, si cum ijs, quæ ex ipso Gabriele retulimus, conferatur.

Corduba.

Posterior opinio quæ debeat.

At vero S. Th. & qui posteriorem opinionem sequuntur solum contendunt potentiam Dei ad præsens tempus relata non posse facere nunc, ut iam præteritum, non fuerit præteritum: quod est intelligendum in sensu cōposito: Cum enim impossibile sit, præteritum, postquam ponitur præteritum, non fuisse præteritum, non subest diuine omnipotentie facere, ut præteritum, postquam ponitur præteritum, non fuerit præteritum, atq; eadem ratione facere non potest, ut præsens, quando est præsens, non sit futurum, & futurum, quando est futurum, non sit futurum, ut disp. 68. c. 4. notatum est. Hoc pacto intelligendum est id, quod *Arist.* 6. *Ethic.* c. 2. refert ex *Agathone*, his verbis.

Arist. Agatho.

Hoc etiam ipse *Deus*, solumque *carere videtur*, *Infectum ut faciat, quod factum est: atque peractum.* Sic etiam loquitur *Aug.* lib. 26. contra *Faustum* cap. 5. cum ait, impossibile est, præterita non fuisse. Cui consentit *Anselmus* in *prologo* c. 7. in principio; & de concordia lib. arb. & prædest. c. 4. Hoc eodem modo *Hieron.* in epist. ac *Eustochium*, quæ est 22. inquit *Firmiter credo virginem post ruinam à Deo reparari non posse*, hoc est. Non posse non virginitatem amisisse: imo vero *Aug.* logo allegato dixit, tam impossibile esse, futurum non fore, quam præteritum non fuisse. Quo fit ut diuine omnipotentie non sublit futurum non fuisse futurum, sicut præteritum non fuisse.

Num Deus possit modo omnia quæ potuit. Bonauent. Durand.

Ex his, quæ diximus, colligitur, verum esse, quod docuerunt *Bona.* in 1. d. 49. a. 2. q. 1. & *Durandus* in 1. d. 44. q. 5. 4. Quantum ad tertium, deum non posse nunc omnia, quæ potuit, quia potuit suscitare Christum, & modo non potest, nisi iterum Christus moriatur. Licet enim potentia Dei in se non mutetur, tamen secundum ea, quæ connotat, variari potest, hoc est, relata ad diuersa tempora dicitur posse diuersa: verbum autem, *Potest*, ad varia tempora connotati refertur. Ex quo etiam infert *Alex.* 1. p. q. 21. m. 4. hoc modo. Quamuis vera sit hæc propositio, *Deus habet quamcunque potentiam, quam habuit*, hæc tamen vera non est, *Deus nunc habet potentiam cuiuscunque rei, quam antea habuit*: neq; hæc, *Quidquid potuit Deus, facere, potest*. Si potentia ad tempus referatur. Alij vero cum *Magistro* in 1. d. 44. dicunt, Deum posse, quæcunque potuit, ita ut potentia non respiciat effectum in diuerso tempore, veluti si dicamus, *Deus potens est, suscitasse Christum, & nunc suscitasse*. Vtrumque autem iuxta ea, quæ notauimus verissimum est.

Alexand.

Magister.

5

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod Deus non possit facere nisi ea, quæ facit. Deus enim non potest facere quæ non præsciuit, & præordinauit se facturum, sed non præsciuit, neque præordinauit se facturum, nisi ea quæ facit. Ergo non potest facere nisi ea quæ facit.

2. Præterea Deus non potest facere, nisi quod debet, & quod iustum est fieri, sed Deus non debet facere quæ non facit, ut faciat quæ non facit. Ergo Deus non potest facere nisi quæ facit.

3. Præterea, Deus non potest facere nisi quod bonum est & conueniens rebus factis. Sed rebus factis à Deo non est bonum nec conueniens aliter esse, quam sint. Ergo Deus non potest facere nisi quæ facit.

Sed contra est quod dicitur *Matth.* 26. An non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Neque autem ipse rogabat, neque Pater exhibebat ad repugnandum Iudeis. Ergo Deus potest facere quod non facit.

Respondetur dicendum, quod circa hoc quidam dupliciter errauerunt. Quidam enim posuerunt deum agere quali ex necessitate nature, ut sicut ex actione rerum naturalium non possunt alia provenire nisi quæ eueniunt, ut prope ex semine, hominis, homo, ex semine oliuæ oliuaria ex operatione diuina non possint alia res, vel alius ordo rerum effluere, nisi sicut nunc est. Sed supra ostendimus, Deum non agere quasi ex necessitate nature, sed voluntatem eius esse omnium rerum causam: neque etiam ipsam voluntatem naturaliter & ex necessitate determinari ad has res. Vnde nullo modo iste cursus rerum, sic ex necessitate à Deo provenit, quod alia provenire non possent. Alij vero dixerunt quod potentia diuina determinatur ad hunc cursum rerum propter ordinem sapientie & iustitie diuine, sine quo Deus nihil operatur. Cum autem potentia Dei. (quæ est eius essentia,) non sit aliud quam Dei sapientia: conuenienter quidem dici potest quod nihil sit in Dei potentia, quod non sit in ordine diuine sapientie. Nam diuina sapientia totum posse potentie comprehendit. Sed tamen ordo à diuina sapientia rebus inditus, in quo ratio iustitie consistit, ut supra

supra dictum est, non adæquat diuinam sapientiam sic, vt diuina sapientia limitetur ad hunc ordinem. Manifestum est autem, quod tota ratio ordinis, quam sapiens rebus à se factis imponit à se finitur. Quando igitur finis est proportionatus rebus propter finem factis, sapientia facientis limitatur ad aliquem determinatum ordinem. Sed diuina bonitas est finis improporcionabiliter excedens res creatas. Vnde diuina sapientia non determinatur ad aliquem ordinem rerū, vt non possit alius cursus rerū effluere. Vnde dicendum est simpliciter, quod Deus potest alia facere quam quæ facit.

Ad primum ergo dicendum, quod in nobis, in quibus est aliud potentia & essentia à voluntate & intellectu, & iterum intellectus aliud à sapientia, & voluntas aliud à iustitia, potest esse aliquid in potentia, quod non potest esse in voluntate iusta vel in intellectu sapiente. Sed in Deo est idem potentia & essentia & voluntas & intellectus & sapientia & iustitia. Vnde nihil potest esse in potentia diuina, quod non possit esse in voluntate iusta ipsius & intellectu sapiente eius. Tunc, quia voluntas non determinatur ex necessitate ad hæc vel illa, nisi forte ex suppositione, vt supra dictum est, neque sapientia Dei & iustitia determinatur ad hunc ordinem vt supra dictum est, nihil prohibet esse aliquid in potentia diuina, quod non vult: & quod non continetur sub ordine quem statuit rebus. Et quia potentia intelligitur vt exequens, voluntas autem vt imperans, & intellectus & sapientia vt dirigens: quod attribuitur potentia secundum se considerata, dicitur Deus posse secundum potentiam absolutam. Et huiusmodi est omne illud, in quo potest saluari ratio entis, vt supra dictum est. Quod autem attribuitur potentia diuina secundum quod exequitur imperium voluntatis iustæ, hoc dicitur Deus posse facere de potentia ordinata. Secundum hoc ergo dicendum est, quod Deus potest alia facere de potentia absoluta, quam quæ præsciuit & præordinauit se facturum: non tamen potest esse, quod aliqua faciat quæ non præsciuerit & præordinauerit se facturū: quia ipsum facere subiacet præscientiæ & præordinationi: non autem ipsum posse, quod est naturale. Ideo enim Deus aliquid facit quia vult, non tamen ideo potest, quia vult: sed quia talis est in sui natura.

Ad secundum dicendum, quod Deus non debet aliquid alicui nisi sibi. Vnde cum dicitur, quod Deus non potest facere

re nisi quod debet, nihil aliud significatur nisi quod Deus non potest facere nisi quod ei est conueniens & iustum. Sed hoc quod dico conueniens & iustum, potest intelligi dupliciter. Vno modo sic, quod hoc quod dico conueniens & iustum, prius intelligatur coniungi cum hoc verbo, est, ita quod restringatur ad standum pro præsentibus, & sic referatur ad potentiam. Et sic falsum est quod dicitur, est enim sensus, Deus non potest facere nisi quod modo conueniens est & iustum. Si vero prius coniungatur cum hoc verbo, potest, (quod habet vim ampliandi) & postmodum cum hoc verbo, est, significabitur quoddam præsens & confutū, & erit locutio vera sub hoc sensu: Deus non potest facere, nisi id, quod, si faceret, esset conueniens, & iustum.

Ad tertium dicendum, quod licet iste cursus rerum sit determinatus istis rebus, quæ nunc sunt, non tamen ad hunc cursum limitatur diuina sapientia & potestas. Vnde licet istis rebus, quæ nunc sunt, nullus alius cursus esset bonus & conueniens, tamen Deus posset alias res facere, & alium eis imponere ordinem.

CONCLUSIO est. Deus potest facere multa, alia, quæ non facit.

ARTICVLVS VI.

Utrum Deus possit facere meliora ea, quæ facit.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod Deus non possit meliora facere ea quæ facit. Quicquid enim, Deus facit, potentissime & sapientissime facit: sed tanto fit aliquid melius quanto fit potentius & sapientius. Ergo Deus non potest aliquid facere melius quam facit.

2. Præterea. Aug. contra Maximinū sic argumentatur: si Deus potuit & noluit gignere filium sibi æqualem, inuidus fuit, eadē ratione si Deus potuit res meliores facere quam fecerit & noluit, inuidus fuit. Sed inuidia est omnino relegata à Deo: ergo Deus vnum quodque fecit optimum. Non ergo Deus potest aliquid facere melius quam fecit.

2. Præterea. Id quod est maximè & valde bonum, non potest melius fieri: quia maximè nihil est maius. Sed sicut August. dicit in Enchir. bona sunt singula, quæ Deus fecit, sed simul vniuersa valde bona: quia ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo. Ergo bonum vniuersi non potest melius fieri à Deo.

N n n 3

4. Præ-

4. Præterea. Homo Christus est plenus gratia & veritate, & Spiritum habet non ad menturam. Et sic non potest esse melior. Beatitudo etiam creata dicitur esse summum bonum: & sic non potest esse melius. Beata etiam virgo Maria est super omnes chotos Angelorum exaltata: & sic non potest esse melior. Non igitur omnia, quæ fecit Deus, potest facere meliora.

Sed contra est, quod dicitur ad Eph. 3. quod *Deus* potest omnia facere abundantius, quam petimus, aut intelligimus.

Respondendo dicendum, quod bonitas alicuius rei est duplex. Vna quidem, quæ est de essentia rei: sicut esse rationale est de essentia hominis: & quantum ad hoc bonum, Deus non potest facere aliquam rem meliorem, quam ipsa sit (licet possit facere aliquam aliam ea meliorem) sicut etiam non potest facere quaternarium maiorem. Quia si esset maior, iam non esset quaternarius, sed alius numerus, sic enim se habet additio differentie substantialis in definitionibus, sicut additio unitatis in numeris, ut dicitur in 8. Metaphy. Alia bonitas est, quæ est extra essentiam rei: sicut bonum hominis est esse studiosum vel sapientem, & secundum tale bonum potest Deus res à se factas facere meliores. Simpliciter autem loquendo qualibet re à se facta potest Deus facere aliam meliorem.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur Deum posse aliquid facere melius quam facit, si ly melius sit nomen, verum est: quamlibet enim re potest facere aliam meliorem. Eandem vero potest facere meliorem quodammodo, & quodammodo non, sicut dictum est. Si vero ly melius sit adverbium, & importet modum ex parte facientis: sic Deus non potest facere melius, quam sicut facit, quia non potest facere ex maiori sapientia & bonitate. Si autem importet modum ex parte facti, sic potest facere melius, quia potest dare rebus à se factis meliorem modum essendi quantum ad accidentalialia, licet non quantum ad essentialialia.

Ad secundum dicendum, quod de ratione filij est quod æquetur Patri, cum ad perfectum venerit, non est autem de ratione creaturæ alicuius, quod sit melior quam à Deo facta est. Vnde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod vniuersum, suppositis istis rebus, non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum à Deo, in quo

bonum vniuersi consistit. Quorum si vnum aliquid esset melius, corrumpetur proportio ordinis. Sicut si vna chorda plus debito intenderetur, corrumpetur cytharæ melodia. Posset tamen Deus alias res facere, vel alias addere istis rebus factis: & sic esset illud vniuersum melius.

Ad quartum dicendum, quod humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo & beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei, & beata virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis: sicut non potest aliquid melius esse Deo.

Tres colligit conclusiones Caiet. ex hoc articulo. Prima est, *Deus non potest mutare aut meliorem facere rem aliquam secundum essentiam*. Secunda est, *Deus potest eandem rem meliorem facere secundum accidentia*. Tertia est, *Deus potest facere speciem meliorem secundum essentiam qualibet alia producta in infinitum*. Hæc est vniuersa doctrina vtriusque articuli, quæ sequenti disput. examinanda est.

DISPUT. CVI.

An possit Deus præter ea, quæ fecit, aut facturum est, alia etiam producere.

Quo pacto Deus ex necessitate iustitiae operetur. cap. 1. que dicatur potentia ordinata. & que absoluta. cap. 2. Deum posse facere plura, quam fecit, fide catholica certum est. cap. 3.

Non modo infinita individua, sed etiam infinita species Deo fieri posse. cap. 4.

Anequam disputationem ipsam aggrediamur, duo præmittenda sunt, quibus status præsentis controversiæ magis elucidabitur. Vnum est quo pacto dei potentia sit alligata iustitiæ, ut nihil possit agere, quod non sit iustum, ac promittit Deus necessitate ex iustitia operetur, id quod in præsentia cap. explicabitur. Alterum est, quæ sit potentia ordinata, & absoluta, de quo sequenti capite dicemus. Modum autem, quo Dei potentia iustitiæ, suæ est alligata recte explicant S. Thom. in 1. d. 43. q. 5. Gab. q. 1. a. 4. Distingunt enim duplicem necessitatem iustitiæ in operando, alteram, quæ vocari solet quoad specificationem; alteram, quæ dicitur quoad exercitium. Prior necessitas in eo posita est, ut Deus nihil possit facere, quod non sit iustum. Si ergo de hac necessitate sermo sit, adhuc de iustitia possumus bifariam loqui, primum, ut includit debitum, & hoc pacto non incumbit semper Deo necessitas quoad specificationem, non faciendi, nisi quod iustum est. Nam licet aliqua faciat ex debito, quia verbo suo promittit, tamen facit absque ulla obligatione. Deinde loqui possumus de iustitia, quatenus solum est convenientia, & decencia diuinæ bonitatis, & illud est iustum quod factum decet, & conuenit bonitati ipsius.

Lib. 8. Met.
sec. 10. 10. 3.

In corp. art.